

SACERDOS INFUNDIT VINUM

Postea aquam miscéndam in Cálíce benedíct, dicens:

Deus, qui humánae substántiae dignitátem mirabí-liter condidísti, et mirabílius reformásti: da nobis per hujus aquae et vini mystérium, ejus Divinitátis esse consórtes, qui humanitátis nostrae fieri dignátus est párticeps, Jesus Christus, Fílius tuus, Dómi-nus noster: Qui tecum vivit et regnat in unitáte Spíritus Sancti Deus: per ómnia saecula saeculórum. Amen.

SACERDOS LAVAT MANUS

id est extremitátes digitórum, póllicis et índicis, dicens:

Lavábo inter innocéntes manus meas: et circúmdabo altáre tuum, Dómine: Ut áudiam vocem laudis, et enárrem univérssa mirabília tua. Domine, diléxi decórem domus tuae et locum habitatiónis glóriae tuae. Ne perdas cum ímpiis, Deus, ánimam meam, et cum viris sánguinum vitam meam: In quorum mánibus iniquitátes sunt: déxtera eórum repléta est munéribus. Ego autem in innocéntia mea ingrédus sum: rédime me et miserére mei. Pes meus stetit in dirécto: in ecclésiis benedícam te, Dómine. Glória Patri, et Fílio, et Spíritui sancto. Sicut erat in princípío, et nunc, et semper: et in saecula saeculórum. Amen.

+ INITIUM SANCTI EVANGELII
SECUNDUM JOANNEM

Joann. 1-14

In princípío erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum. Hoc erat in princípío apud Deum. Omnia per ipsum facta sunt: et sine ipso factum est nihil, quod factum est: in ipso vita erat, et vita erat lux hóminum: et lux in ténebris lucet, et ténebrae eam non comprehendérunt. Fuit homo missus a Deo, cui nomen erat Joánnes. Hic venit in testimónium, ut testimónium perhiberet de lúmíne. Erat lux vera, quae illúminat omnem hóminem veniéntem in hunc mundum. In mundo erat, et mundus per ipsum factus est, et mundus eum non cognóvit. In própria venit, et sui eum non recepérunt. Quotquot autem recepérunt eum, dedit eis potestátem filios Dei fieri, his, qui credunt in nómine ejus: qui non ex sanguínibus, neque ex voluntáte carnis, neque ex voluntáte viri, sed ex Deo nati sunt. (Hic genufléctitur) ET VERBUM CARO FACTUM EST, et habitávit in nobis: et vídimus glóriam ejus, glóriam quasi Unigéniti a Patre, plenum grátiae et veritátis. R. Deo Gratias.